



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,  
Bibliothecis, et aliunde**

**Sweerts, Pierre François**

**Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.**

Roschildensia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

no sanguine in illum defluxere : talesq; decent tot  
regum prolem.



## H A F N I A E.

DN. IACOBO BORDINGO Antvverpiano,  
viro in omni Philologia & Philosophia bene & e-  
leganter versato: & propterea Sadoleti quoq; alio-  
rumque exterorum doctiss. monumentis publicè  
celebrato, primùm patriæ, dein Ducc. Megapp. &  
sereniss. Daniæ Regg. Christiani III. & Friderici  
II. Archiatro : Academiarum Rostochianæ &  
Hafniensis ornamento : ob veræ pietatis, eruditio-  
nis, sapientiæ, & omnium virtutum laudem, me-  
moriæ perennem iam pridem adepto : grati hoc  
animi memoraculum, patri opt. sibi que & omni-  
bus bonis desideratiss. in beatæ reparationis spem,  
Iacobus Bordingus F. I. V. Doctor, Professor &  
Cancellarius Megapol. P. C.

Piè obiit Hafniæ, an. Christi CIO, IO. LX. Se-  
ptemb. v. hora IV. vesp. an. ætat. i.



## ROSCHILDENSIA.

IN CATHEDRALI.

*Tergeminus fuit HARALDVS, dum sceptriger omni  
Temporis excursu pace beatus erat.*

*Cæsaris innumertum donec furit agmen, & inde  
Climata Iutonica dilaniata iacent.*

*Consilium nimium felix: Rex gurgite sacra*

*Mersus, in it superis fœdus: & arma iacent.*

*Funditus hæcæ Ioue summo nunc condidit ades,*

Ll 4

Quasq;

*Quasq; per id memores dixerit esse sui.  
 Sueno etiam abluitur, prater placitum, sua proles  
 Præcipiti rabie qui strepit armipotens.  
 Imperij siquidem generosi fata parentis  
 Cæca libido parat, spicula missa necant.  
 Post natale Dei dum scripsimus octuaginta  
 Nongentos, meruit scandere celsa poli.*

## IBIDEM.

*Regum SVENO decus, magno quo Dania Rege  
 Floruit, & sceptris imperiosa fuit.  
 Non virtute minor Sueno, quam nomine Magnus  
 Nam dici poterit Magnus utroq; modo.  
 Hunc, Nor illustris Regis præclara Canuti  
 Estridis genuit prole beata parens.  
 Anglos Marte premens, Norvegia regna subegit,  
 Fit tria septrâ tenens vnica Dana manus.  
 Res miranda nimis, quem non tria regna valebant  
 Imperio capere, iam petra parua capit.  
 Sed quia stare diu nequit heu terrena potestas;  
 Terrarum reges quarite regna Dei.*


## IBIDEM.

*VWilhelmus olim Episcopus Roschildensis  
 Præstantibus Dei relucebat donis,  
 Pietate, religione, per celebri vita  
 Et sancta, & omni genere virtutum illustris;  
 Ad eò, vt incertum erat, is ne officio tali  
 Dignior erat, an illo officium. Tam spectatum  
 Episcopatus præstitit sui exemplum.*

Hic fretus innocentia, atque item iusto  
 Iniusti homicidij dolore per motus,  
 Quod à rege factum erat, libidine magis quàm  
 Ratione, Regem ipsum quamuis magnum, & tali  
 Regno potentem, comitatuq; stipatum  
 Magno, repulsum baculo, prohibuit templo,  
 Rebusq; sacris, donec pœnitens facti,  
 Ingratiam cum Ecclesia ac Deo offenso  
 Redisset. his factis, tempore non ita multo  
 Post, mortui iam regis sui deferabatur  
 Funus. quod ut rescitum est appropinquare  
 Vrbi; duo sepulchra confici iussit,  
 Duobus etiam feretris adornatis ibat (est;  
 VVILHELMVS obuiam. Postquam ad funus ventum  
 Oratione facta, ut illi (quem in terris  
 Deo patri iam lucrifecerat sanam  
 Per admonitionem) commori posset.  
 Mox membra collapsus, animam sanctam celo  
 Reddidit. Ac inde ut ergo suo lecto impostus  
 Hanc sacram ad sedem pariter (mirabile dictu)  
 Magno omnium stupore deportati sunt.  
 VVILHELMO honorificè sepulto, ac de more  
 Episcopalibus insignibus vnà cum illo  
 Terra reconditis, nouo Deus funus  
 Miraculo hominum memoria consecrauit.  
 Hac ipsa namq; ut obruta tumulo terra,  
 Vltro sepultum reddidit. translatum ergo  
 Huc funus est, ac magna cum religione  
 Hoc in loco commendatum sepultura.

SAXONIS GRAMMATICI  
DANORVM HISTORICI,

Qui viuens alios aeternum viuere fecit,  
SAXO GRAMMATICVS mortuus hic recubat.  
Mortuus extincto sed tantum corpore, mente  
Qua valuit, magno viuuit & ingenio.



SORANA.

IN TEMPLO CŒNOBII  
SORANI.

**H**OC ABSALONEM tumulo post fata reclusi  
Ultimus humanae conditionis honos.  
Hic primas sua prima tenens, docet, vltima cunctis  
Ingruere, & nullum posse manere diu.  
Corpore nactus humum, lustrat spiramine calum,  
In duo diuisus gaudet habere duo.  
Par patris patriaeq; parens, hoc puluere pausat,  
Certa salus populi, plebis opima quies,  
Virtutis specimen, iusti pater, auctor honesti,  
Militiae robur, religionis apex.  
Hostibus excidium, tutamen ciuibus, equi  
Arbiter, armorum gloria, pacis amor.  
Non fuit in toto quisquam praestantior orbe.  
Nulla magis clarum fudit origo virum.  
Omnis in hunc virtus confluit munere pleno,  
Nec quenquam vitio praestitit esse locum.  
Quicquid Achillis erat, quicquid Platonis, in eius  
Splenduit ingenio, moribus atq; sono.

Fortinet